

VENERABILI FRATRI THOMÆ JOSEPHO Archiepiscopo Episcopo Carthaginensi.

BENEDICTVS PP. XIII.



Enerabilis Frater salutem, &c. Etsi graviter affecti sumus ex pravis opinionibus, quas, licèt sæpe rejectas atque proscriptas, Regulares tamen nonnulli post confirmata à Nobis privilegia Fratrum Prædicatorum & Minorum usurpare in Confessionibus Secularium excipiendis & renovare nituntur: mirificè tamen gavisi sumus, quod Fraternitatis tuæ vigilantia pro avertendis animarum periculis, & vindicando Sacrorum Canonum & Apostolicarum Constitutionum cultu excubare non desinat. Tuæ igitur pastorali sollicitudini meritas laudes deferentes, nostræ auctoritatis & declarationis officium, quod imploras, ad amputandos novitatis prætextus, libenter impendimus; ac Fraternitati tuæ cæterisque omnibus, quorum interest, certum exploratumque esse volumus, & quod alias Regularibus in Provinciis Hispaniarum constitutis per Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Rhodiensem nostrum, atque hujus Sanctæ Sedis Nuncium denunciatum declaratumque esse curavimus, iterum per hasce nostras in forma Brevis literas edicimus & declaramus, Nos Apostolicæ Constitutionis, quæ incipit: *Apostolici ministerii*: ab Antecessore Nostro fel. rec. Innocentio XIII. editæ, & à Nobis confirmatæ, omnimodam observantiam velle & mandare; ac per Bullas, quarum altera incipit: *Pretiosus*: altera: *Summe decet*: per quas Constitutiones & privilegia Ordinibus Fratrum Prædicatorum & Minorum confirmantur, nihil esse derogatum antedictæ Constitutioni: *Apostolici ministerii*: sed eam in suo robore perinde ac antea permanere. Illud præterea notum omnibus & compertum esse volumus per memoratas privilegiorum confirmatio-

matio-

mationes, nihil esse detractum auctoritati ac robori nostrarum Constitutionum, quarum alteram incipientem: *In supremo militantis Ecclesiæ* Anno 1724. alteram, cujus initium: *Pastoralis officii* Anno 1726. edidimus & promulgavimus; ita ut nullo quæsito prætextu ex confirmatis privilegiis, aut eorum communicatione cum quovis Regulari Ordine, eludi, aut infirmari possint. Tua igitur sapientia universæque fraternitatis zelo, Regularium vero obedientia & observantia freti, *nullas Tibi quidem aliisque Venerabilibus Fratribus Hispaniarum Episcopis locorumque ordinariis,* novas in posterum hac de re molestias, Nobis vero graviores adhibendi remedii curas allatum iri confidimus. Ac Tibi, Venerabilis Frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ,&c. Die 21. Septembris 1729. Pontificatus nostri anno sexto.

C. Archiepiscopus Emissenus.

Concordat cum originali, in cujus fidem subscripsi, & signavi Romæ hac die 24. Septembris 1729.

In testimonium ✠ veritatis.

Ioseph Ignatius Romanus
Notus. Aplicus.

Concuerda con el trasumpto original, de que doy fee.